



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Specvlvm Ivventvtis, Sive Insigniores Pveritiæ Atqve
Adolescentiae Sanctorvm**

Bosendorf, Hermann

Monasterii VVestphalorvm, 1615

Thomas Archiepiscopus Cantuariensis mart. 29. Decemb.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42900

ADOLESCENTIA S. THOMAE ARCHI-
PISCOPI CANTUARIENSIS & MARTYRIS, 29. DECEM-
BRI. TOM. 6.

THOMAS CANTUARIENSIS ANTISTES, inter alios, de quibus merito Anglia gloriatur, martyrio insignis, generis dignitate, opum gloria, eruditionis laude, & animi magnitudine clarus, Londini Britanniam suo ortu illustravit. Pater illi fuit Gillebertus, mater Matildis: uterq; non opibus tantum & genere, sed quod multo præstantius est, morum integritate & innocentia nulli ciuium suorum secundus. Simulac vero per ætatem disciplinarum capax literis adhibitus fuit, breui mirificos in ijs fecit progressus, fecissetq; maiores: nisi fortunæ ludibriū spem cogitationum eius retardasset. Parentes enim in summa rerum omnium opulentia, crebris incendijs, ac multis adversis afflicti casibus, sedulam filij sui instituendī curam remiserunt: atq; postremo morte ante tempus oppressi, magnam illi cum orbiitate calamitatem reliquerunt. Neq; tamen idcirco concidit animo Thomas; sed Richerio cuidam viro opulento & nobili, qui patris hospitio frequenter vti solebat, se se adiugens, factio cum Musis diuortio, venatione & aucupio ferè se oblectauit: canibus autibusq; ita gaudens, vt tamen virtutis studium nequaquam desereret; sed corpore & mente castus, & ab omni mendacio alienus, insitos pietatis ignicu-

*studium
virtutis.*

Castitas.

los fouebat. Cumque parentibus iam orbatus propria virtute emergere deberet, Osberno cuidam insigni prudentia, & diuitiarum gloria inlyto viro ei sanguine iuncto, toto serè triennio adhesit: cui in acceptis expensis operam suam summa fide nauabat. Erat adhæc o-
Morum honestas.

ptimis moribus, præclaro ingenio, iucundo vultu, sed graui, grato sermone, formaq; eleganti. Iamq; adulata etate ad honores & mundi huius dignitates aspirare videbatur, cum occulto Dei consilio in Theobaldi Cantuariensis Archiepiscopi notitiam familiaritatemq; deuenit: qui tanta eum benevolentia, propter iucundam morum grauitatem & singularem animi prudentiam est complexus: ut suis eum consilijs & publicis priuatisq; negotijs adhiberet. Tum vero ludis & omni penitus leuitate reiecta, sensu perugil & consilio prouidus, tallem tantumque se Episcopo praestitit: vt ab eo multis magnisq; decoratus beneficijs, tandem Archidiaconus, adiuncta Beuerlacensi prepositura crearetur. Rex vero cognita eius constanti virtute atq; prudentia confessim totius regni eum constituit Cancellarium, tandemque
decedenti Theobaldo Cantuariæ in
Archiepiscopali sede
suffecit.

F I N I S.

I I 4

N O M I